

diuersitate diametri inueneris, quoniam tunc minu. proportionalia, nullius erunt operis. Tunc etiam æquatio primo examinata, erit etiam æquatio secundo examinata, & centrum corporis Lunæ, erit tunc in auge uera, uel opposito augis ueræ epicycli, & ex consequenti, erit argumentum uerum, 0 aut 6 signa præcise. Si minuta proportionalia fuerint 60, tunc tota ipsa diuersitas æquata absq; ulla uariatione loco producti accipiatur, addaturq; uel abijciatur æquationi argumenti æquata, & habebitur æquatio argumenti secundo examinata. Quoniam tunc centrum epicycli, est in opposito augis deferentis, uel ualde prope &c.

De Genzahar Lunæ.
Propositio XIII.

Verum locum Genzahar Lunæ reperire.

Genzahar Lunæ dicitur punctus ecentrici Lunæ, qui existit sub ecliptica, de quo altera medietas dicti ecentrici septentrionem, altera uero austrum uersus incipit declinare, quem uulgo caput draconis dicimus. Cuius tamen uerus locus facillime quæritur. Inuento namq; medio motu eius per 1. ad tempus oblatum, quo de 12 sig. subtractis, residuabitur uerus locus Genzahar Lunæ. Et in gradu huic opposito, uerus locus caudæ eiusdem draconis in zodiaco collocatur.

De planetarum passionibus.

Propositio XV.
Latitudinem Lunæ per tabulas inuenire.

Per uerum argumentum seu æquatum latitudinis Lunæ sua latitudo queri debet, sed illud duplici uia inuestigabitur. Nam subtracto uero motu capitis, de uero motu Lunæ, aut addito uero motu Lunæ cum capitis motu æquali, argumentum latitudinis Lunæ uerum prodibit. Intra igitur cum hoc argumento tabulam latitudinis Lunæ, quærendo signa in fronte uel calce tabulæ, gradus in latere respectu quorum angulus communis latitudinem Lunæ adducit, quam æquabis per partem proportionalem ad 60 mi. si opus fuerit.

Hæc autem latitudo dicitur septentrionalis ascendens, si argumentum latitudinis Lunæ æquatum fuerit minus tribus signis communibus. Quod si fuerit à tribus signis ad usq; sex signa, erit dicenda septentrionalis descendens. Si uero præfatum argumentum habuerit plus in signis quàm sex, minus tamen quàm nouem, meridionalis descendens appellabitur. A nouem autem signis usq; ad duodecim si dictum concreuerit argumentum, tunc præinuenta latitudo meridionalis ascendens denominanda esset. Si uero argumentum Lunæ æquatum fuerit 0 sig. uel 12 præcise, tunc Luna est in capite draconis. Si uero fuerit 6 signorum præcise, tunc erit descensus eius absq; latitudine, essetq; in cauda draconis, si deniq; prædictum argumentum fuerit præcise trium signorum, tunc Luna habet septentrionalem latitudinem, & potest dici ascendens respectu latitudinis immediate præcedentis, & descendens respectu latitudinis immediate sequentis. Simili modo est dicendum, dum argumentum sæpe dictum fuerit præcise 9 signorum, tunc enim Luna habebit latitudinem meridionalem, & uocabitur ascendens & descendens respectu diuersorum, ut supra. Si autem scire desideras, an Luna in superiori uel inferiori parte sui epicycli